



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vsvardi Martyrologivm

Usuardus <Sangermanensis>

Lovanii, 1573

Capvt X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42790

CHRONICON

contra fautores imperatoris Constantini Copronymi, non modo verbis, sed etiam sanguinis profusione, pium imaginum cultum confirmauit.

In Dicliuenna apud Teneramundam sanctus Hilduardus episcopus. qui fidem constantissimè prædicauit, & tandem etiam Magriptium Ducem conuertit, à quo multis tormentis fuerat affectus.

Frisie martyres. In Frisia clarebat sanctus Bonifacius, qui cum annis tredecim Frisonum Francorumque gentem in fide catholica instruxisset, à Gregorio secundo ad Germanorum conuersionem Moguntinæ ciuitati primus episcopus est designatus. Mortuo autem beatissimo Vuillibrordo, Moguntiæ successorem constituit sanctum Lullum, & ipse Traiectensem archiepiscopatum secundus suscepit. Cumque annis sedecim per Frisiām prædicasset, in Dockum anno septingentesimo quinquagesimo quinto, ab infidelibus oppressus est, & martyrio redimitus, cum socijs, quos plures quam quinquaginta in fidei prædicatione cooperatores habuit. E quibus vndecim tantum, velut celebriores suis nominibus in historia exprimuntur, videlicet Eobanus episcopus; tres presbyteri, Vuinrugius, Vualterus, Adalherus: tres diaconi Stircbaldus, Hamuntius & Boso: quatuor monachi, Vuaccharus, Gunderherus, Vuilliherus & Adolphus.

CAPUT X.

Sanctus Carolus magnus, Pipini filius, patri in regno succedit, anno septingentesimo sexagesimo

gesimo octavo, compartito regno cum fratre Carolomanno. Et Carolus quidem Nouiomii, regiam accepit coronam: Carolomannus vero in urbe Sueffonica.

Anno autem octingentesimo primo Leo tertius populi Romani scito, cleriique rogatu, dictum Carolum Pipini filium, Francorum & Longobardorum regem, ob egregia in Christianum nomen & Romanam sedem merita, Romanum imperatorem primus appellauit, inunctumque consecravit. Obiit anno octingentesimo decimo quarto.

Claruerunt sub eo sanctus Rumoldus archiepiscopus & Apostolus Mechliniensium. qui martyrio est coronatus anno septingentesimo septuagesimo quinto. Sanctus Gregorius episcopus Traiectensis, insignis prædicator Frisonicæ gentis. cui anno septingentesimo octuagesimo quarto succedit Adelbricus: Sanctus Ludgerus episcopus Monasteriensis, qui Traiecti sub sancto Gregorio multum in scientia literarum & in morum probitate profecit, & aliquot annis Dauentriæ, & per Frisiā laborauit in fidei prædicatione & corroboratione. Sanctus Saluius, episcopus Aquitaniæ, qui cum discipulo suo, à filio procuratoris fisci Valencenensis est martyrizatus: quorum corpora post triennium Carolus magnus diuina admonitione reperit. Apud Thenas, beatus Himerinus, cognatus sancti Rumoldi. In Vilre apud Falkenburgum, sanctus Arnoldus, cytharœdus ipsius Caroli.

N 5 C A P V T